

Ex quo idem S. Doctor qu. 8. infert dona intellectus & scientia, virtuti fidei respondere: sicut enim in corpora- libus disphantibus est ultima dispositio ad lucem, qua idcirco a Philosophis definitur actus diaphani; ita in spiri- tualibus puritas cordis est dispositio ad scientiam & sapientiam, quam D. Augustinus propterea definit: Purificatio mentis respondeat unde fit purificatio cordis sit effectus fidei, consequens est ut etiam dona intellectus & scientia ipsi respondeant. Quare idem Augustinus in libro de spiritu & littera: Noli intelligere ut credas, sed credere ut intelligas, intellectus enim merces fidei est.

In hujus rei typum, columna qua ducebat filios Israel per desertum, erat ex una parte obscura, & ex alia lucida: quia nimirum fides, que nos ad patriam ducit, ex una quidem parte tenebrosa est, utpote obscura Dei revelationi innoxia, sed ex alia fulgens ac illuminans, quia scientia & intelligentia dona paratur, & secretiora divina sapientia arcana nobis aperit. Quid enim (inquit Bernardus super Cantica serm. 76.) non invenit fides? attingit inaccessa, apprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, istam denique aeternitatem suo illo vanissimo sensu quodammodo circumcludit.

De hac etiam virtute eleganter disserit August. serm. 10. de verbis Apostoli, ubi precipuos ejus effectus sic describit: Nulla sunt majores divitiis, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est Catholica fides, que peccatores homines salvat, cocos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, paventem reparat, castitatem fovet, maritimos coronat, virgines viduat, ac conjuges, casto iure consecrat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regis caelestibus preparat, in aeterna salute cum Angelis sanctis communicat.

DISPUTATIO IX.

De virtute spei.

Ad questionem 17. & quinque sequentes.

Quomodo fides est regula intellectus, illamque continet & moderat, ne circumferatur omni vento doctrine, & ad varias errorum vires ac scopulos illidatur: ita spes est anchora voluntatis, eam firmam & fixam tenens ne inter procellas & tempestates hujus vite fluctuet, atque veluti quodam abrepus humanus animus, ab optato cursu deviet, quod a caelestis beatitudinis persecutione desinat. Porro haec virtus non solum prestantissima, & nobilissima est, utpote Theologica, Deumque immediate respiciens, sed etiam gratissima, jucundissima, & amoenissima: est enim fidei nostrae alacritas, divina dilectionis suavissimus illex, & acutissimus stimulus, vel, ut ait Damianus, Tertia via, qua fragiles animos erigit ad superna; qua radium expectationis levigat; qua presunt de misericordia judicis, & in divina pietatis obversatur palatio. Spes est quasi pes animae, cui tota innititur, quo subsistit, quo incedit, ad aeternam felicitatem progreditur. Tolle spem (addit Zeno Veronensis) sorpet humanitas tota; tolle spem, artes virtutesque omnes cessabunt; tolle spem, interempta sunt omnia. Quid Christianus credit in Christum, si promissum sibi ab eo perpetuae felicitatis tempus non credit esse venturum? spes (ut belle ait Chrysostomus) sustinendi est gloria, felicitas patientiae, virtutum comes, laborum triumphus. Spes non solum de premio securus, sed praeperere beatos facit, & caelestem gloriam praebere incipit: hinc Philo Judaeus eam vocat, Gaudium ante gaudium, & possessionis futura inchoationem. Immo Chrysostomus ait quod illa gloriam inchoat, & sustinendo consummat. Spes denique est firmissimum animi nostri fulcrum, & veluti anchora sacra, qua nutantem animum, & a fluxis rebus quibus inheret caducum, in procelloso hujus mundi pelago itabilis & obfirmat. Hanc (inquit August. in Psalm. 64.) in illa terra (loquitur de caelesti Hierusalem) quasi anchoram praefiximus ne in stormi turbati naufragemus. Quomodo enim de navi, que in anchora est, recte dicimus quod jam in terra sit, licet fluctuet: sic contra hujus peregrinationis nostrae tentationes spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem, facta nos non abstripi in laxa. Huic ergo merito a Poetis viridis palla datur, quod ea duce omnia venient, ut belle annotavit Alciatus.

ARTICULUS PRIMUS.

An spes, etiam ut est informis, sit vera virtus Theologica a fide & caritate realiter distincta?

Missis acceptionibus non Theologicis hujus nominis spes, in Theologia spei nomine intelligitur aliquando obiectum, seu bonum quod speratur; ad Titum 3. Expectantes beatam spem, & advenum gloriae magni Dei. Interdum etiam hoc nomine significatur ille a quo speratur

ale bonum ut Deus, Psalm. 90. Tu es Domine spes mea; Psalm. 21. Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae. Aliquando vero, & magis proprie, intelligitur actus ipse quo bona supernaturalia speramus a Deo, ad Rom. 8. Spe salvi facti sumus. Et quia habitus denominatur ab actibus, aliquis etiam habitus est, qui dicitur spes infusa, 1. ad Corinth. 13. Trium haec manent; fides, spes, caritas: quod non de actibus qui transeunt, sed solum de habitibus, qui permanent, intelligi potest. De spe hoc ultimo modo accepta agimus in praesenti, & inquirimus an talis habitus, etiam prout est informis, & a caritate separatus, fit vera virtus Theologica? Quae difficultas facile resolvitur ex dictis disputatione praecedenti de habitu fidei informis: spes enim est simillima fidei: unde familiare est D. Thomae, exponere spem exemplo, & ad modum fidei, ut videre licet hic qu. 17. art. 6. aliterque in locis, sed maxime qu. 4. de virtutibus, qua est spes art. 1.

Dico ergo primo, spem esse proprie virtutem, licet pro ut est informis, & a caritate separata, modum ac statum perfectae virtutis non habeat. Ita communiter docent Theologi contra Durandum in 3. dist. 26. qu. 1. dicentem spem non esse virtutem, nisi improprie, & largo modo sumptam: quia (inquit) virtus, ex Philosopho, est dispositio perfecti ad optimum; spes autem, cum versetur circa bonum arduum, absens, & nondum possessum, non est dispositio perfecti ad optimum, ut neque fides, quae versatur circa Deum obscuro tantum modo cogitatum.

Probatur tamen prima pars conclusionis ratione D. Thomae hic artic. 1. quae potest sub hac forma proponi. Quoties datur aliquis actus bonus juxta regulam legis naturae, ad quem potentia non est naturaliter determinata, vel proportionata, requiritur in dicta potentia aliquis habitus ad conaturalem ac faciliem ejusdem actus elicentiam, qui dicitur virtus, ut in Tractatu de virtutibus in communi ostenditur; si enim potentia esset naturaliter determinata & proportionata ad actum, ex propria sua ratione haberet quiddam requiritur ad conaturalitatem ejus elicentiam; & sic frustra adhiberetur habitus, qui solum exigitur ad indigentiam potentiae compensandam: Sed sperare Deum ut summum bonum, est actus bonus juxta regulam legis aeternae, cum fit praecipuus a Deo ut Auctore supernaturali: Ergo ad illum actum conaturaliter elicendum, requiritur in voluntate, quae ex propriis viribus ad illum indeterminata & improporionata est, aliquis habitus supernaturalis, qui dicitur virtus spei Theologicae. Unde

Ad fundamentum Durandi dicendum est, quod quando Philosophus dixit virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum sensus est, quod virtus sit dispositio perfecti, id est animae rationalis ad optimum, id est ad honestum, quod est optimum e tribus bonorum generibus, quia est melius utili & jucundo. Unde ad rationem veram virtutis, non requiritur, quod disponat hominem ad optimum modum operandi simpliciter, & in omni genere (si enim sola caritas esset virtus) sed sufficit quod disponat ad actum ex genere suo honestum bonum, atque homini in statu in quo est, accommodatum: talis vero est actus spei Theologicae, nam ut ait D. Thom. hic art. 1. ad 3. ille qui sperat, est quidem imperfectus secundum considerationem ad id quod sperat obtinere, quod nondum habet; sed est perfectus quantum ad hoc quod jam attingit propriam regulam, scilicet Deum, cuius auxilio innititur.

Secunda pars conclusionis, quae asserit spem prout est informis, & a caritate separata, non habere modum & statum perfectae virtutis, patet: Tum quia non ordinatur ad ultimum finem, ad quem virtus perfecta debet ordinari. Tum etiam quia, ut supra dicebamus, de spe informi eodem modo philosophandum est, ac de fide informi, quam disputatione praecedenti ostendimus habere quidem essentiam, sed non statum & modum perfectae virtutis. Dico secundo, spem supernaturalis & infusam vere esse virtutem Theologicam. Ita D. Thomas hic art. 5. Ratio est: quia illa virtus Theologica dicitur, cujus obiectum immediatum, & adequatum est Deus: Sed Deus est obiectum immediatum & adequatum tam motivum, quam terminativum, spei infusae & supernaturalis ut ostendimus articulo sequenti: Ergo illa est virtus Theologica.

Dico tertio, spem distingui realiter a fide, & a caritate. Prima pars est contra nonnullos hujus temporis hereticos, qui spem cum fide confundunt, & in intellectu constituant, nihilque aliud illam esse volunt, quam certam & firmam persuasionem futurae salutis. Sed hic error in Tractatu de justificatione impugnatus est, disp. 1. art. 6. & manifeste repugnat Apostolo 1. ad Cor. 13. ubi spem a fide distinguit, cum sicut: Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec, &c. neque enim tria essent, si non distinguerentur. Et ad Hebraeos 11. affirmat fidem esse substantiam sperandarum rerum, id est basim & fundamentum spei: Sed manifestum est, basim & fundamentum distingui ab eo, cujus basis & fundamentum est: Ergo a fide a spe. Simili modo SS. Patres illas virtutes distinguunt, dum docent salutis nostrae auxilium & fundamentum esse fidem, profes-

profetum vero spem, culmen denique & perfectionem esse caritatem; sive ut loquitur Augustinus, Christianum fide fundari, spe erigi, caritate perfici. Ex quo etiam liquet, spem esse virtutem realiter a caritate distinctam: quod etiam a posteriori constat, cum in peccatore spes sine caritate maneat. Unde erronea videtur opinio quam tenuit Ocham quodlib. 3. quael. 1. nimirum spem non esse quid tertium, distinctum a caritate, & fide, sed aggregatum illarum; quia (inquit) sperare, nihil est aliud quam credendo desiderare: ex hac enim sententia aperte sequitur in peccatore non manere spem, quod erroneum cenfeo.

ARTICULUS II.

Quomodo sit obiectum formale quod, seu terminativum spei Theologicae?

Vasquez 1. p. dist. 84. cap. 1. & 3. p. dist. 43. cap. 2. docet obiectum formale quod spei Theologicae, esse omne illud quod in potestate Dei continetur, & ab illo sperare possumus, sive naturale, sive supernaturale, sive creatum, sub quo etiam continetur aeterna beatitudo. Illud sequuntur Turrianus, Meratus, & alii ex Recentioribus: sed alii repugnant, praesertim Discipuli D. Thomae, asserentes obiectum formale quod adequatum spei esse aeternam beatitudinem: bona autem creata ad beatitudinem conducentia, vel quae illam consequuntur, esse obiectum dumtaxat materiale & secundarium illius. Sed cum duplex sit beatitudo, formalis scilicet, & obiectiva; quidam asserunt obiectum formale quod spei esse beatitudinem formalem, alii denique asserunt beatitudinem obiectivam esse obiectum adequatum spei infusae, beatitudine formali de connotato, & per modum conditionis ingredienti.

S. I.

Vera sententia statuitur.

Dico primo: Obiectum formale quod, seu terminativum spei Theologicae, est sola beatitudo aeterna, non autem alia bona naturalia, vel supernaturalia, quae a Deo sperantur.

Probatur primo ex illo Matth. 6. Quae sit primum regnum Dei, & haec omnia adjicientur vobis: Ex quo Divus Thomas infra quael. 83. art. 6. ad 1. infert quod alia non sunt querenda principaliter, sed secundario, nec proxime speranda.

Probatur secundo ex illo ad Hebraeos 11. Fides est substantia sperandarum rerum, id est, res quae attingitur a fide, est res speranda: Sed solus Deus, qui est beatitudo nostra obiectiva, est obiectum formale quod fidei; alia vero sunt obiecta dumtaxat secundaria & materialia, ut disp. 1. art. 1. ostendimus: Ergo & spei.

Probatur tertio, ratione quam hic art. 2. in corpore S. Doctor infinitur: Obiectum formale quod, & obiectum formale sub quo, seu obiectum motivum & terminativum spei Theologicae, debent inter se proportionari: unde cum obiectum motivum, seu ratio formalis sub qua spei Theologica, nimirum omnipotentia Dei ut auxilians, sit infinita virtutis, bonum quod ex illius redditur a nobis per se primo consequibile, debet esse infinitum, subindeque Deus, qui est nostra beatitudo obiectiva. Quam rationem alii verbis Sanctus Doctor expressit: Spes, inquit, de qua loquimur attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum: operis autem effectum esse causam proportionatam, & ideo bonum quod proprie & principaliter a Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis; nam infinita virtuti est proprium, ad infinitum bonum producere: hoc autem bonum est vita aeterna, qua in fruitione Dei consistit, non enim minus aliquid ab ipso sperandum est quam sit ipse. Quod non solum sua doctrina, sed etiam hoc exemplo S. Doctor comprobatur. Cum enim ab eo Christus postulat, quod per maximis in scribendo laboribus mercedem postulet? Respondit: Nam sciam praeter te Dominum. Cui consonat illud Augustini 22. de civitate Dei cap. ultimo: Praemium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, eique sessum, quo melius & majus nihil potest esse, promissum.

Probatur quarto conclusio: Spes est motus & tendentia in beatitudinem, tamquam in ultimum finem; in alia vero tamquam in media conducentia ad illum: Ergo illius primarium obiectum est beatitudo, cetera vero secundarium. Consequenter patet: id enim quod attingitur medium, & ut conducentis ad aliud, attingitur ratione illius, & in ordine ad illud. Antecedens probatur primo: Beatitudo ut ultimus finis, & summum bonum postquam, consequibile a nobis, est attingibilis per aliquam virtutem: At non per aliam quam spem: Ergo per illam tendit homo in beatitudinem tamquam in ultimum finem, & consequenter in alio ut in media conducentia ad illum. Secundo probatur idem Antecedens: Spes vis, & frui-

tio patriae, habent idem obiectum, solumque distinguuntur tamquam via & terminus: Sed fructio est de ultimo fine & beatitudine, tamquam de obiecto primario: Ergo spes per modum viae & modus eandem primario respicit beatitudinem.

Denique suaderi potest conclusio communi: Spes est virtus Theologica: Ergo obiectum ejus formale quod, seu terminativum, debet esse aliquid divinum, non vero aliquid commune Deo & creaturis. Antecedens est certum: Consequenter vero probatur: Primo a paritate aliarum virtutum Theologicarum, quarum obiectum quo & quod, seu motivum, & terminativum, est aliquid divinum. Secundo exemplo religionis, & doni timoris: religio enim, in multorum sententia, respicit tamquam obiectum formale quo, seu motivum, divinam excellentiam; & tamen virtus Theologica non est, quia ejus obiectum formale quod, seu terminativum, est aliquid creatum, nimirum cultus Dei. Similiter donum timoris divinam respicit eminentiam tamquam obiectum formale sub quo, seu motivum; & tamen quia obiectum ejus formale quod, seu terminativum, non est aliquid divinum, virtus Theologica non est: Ergo ad hoc ut aliqua virtus sit Theologica, requiritur quod obiectum ejus formale quo, & quod, motivum & terminativum, sit aliquid divinum.

Ratio etiam id suadet: Nam virtutes Theologicae sunt in ordine supernaturali prima principia, ordinantia hominem ad ultimum finem supernaturalem: ex qua ordinatione derivatur rebus erga media, in ordine ad illum finem, quae habetur per virtutes morales infusas, quae circa media versantur: Ergo sicut virtutes morales infusae respiciunt ut obiectum formale quod, media quae ad ultimum finem supernaturalem conducent; ita virtutes Theologicae ultimum finem supernaturalem, ut obiectum formale quod, attingere debent.

Dico secundo: Obiectum formale quod spei Theologicae, non est beatitudo formalis, nec aggregatum ex beatitudine formali & obiectiva, sed beatitudo obiectiva, quae est Deus, connotat tamen tamquam modum aut conditionem requisitam, non tamquam obiectum, saltem formale & primarium, ipsam visionem.

Prima pars, quae est contra Durandum, asserentem ipsam visionem, in qua beatitudo formalis consistit, esse immediatum obiectum spei, Deum autem esse mediatum, colligitur primo ex illo Gen. 13. Ego sum merces tua magna nimis: & ex D. Augustino supra relato, dicente: Praemium virtutis erit ipse qui virtutem dedit: necnon ex D. Thomae hic art. 5. ubi ait: Spei in quantum est virtus, principale obiectum est Deus.

Deinde suadet ratione, conclusione praecedenti expensa: quia scilicet virtus Theologica debet habere Deum pro obiecto immediato, alias religio & timor Dei essent virtutes Theologicae.

Tertio probatur alia ratione, quam etiam supra innuimus. Idem est obiectum in quo tendit motus desiderii, & in quo quiescit, quod illud consequitur: sic idem est locus, in quem tendit motus gravis, & in quo quiescit: Sed immediatum obiectum quietis & fruitionis in patria, non est ipsa visio, sed solum Deus, ut habet rationem primi veri, & summi boni, quo beatus fruitur per visionem beatam: cum solum bonum universale, summum, & infinitum, appetitum creaturae rationalis perfecte quietare & satiare possit: Ergo obiectum formale quod spei Theologicae, est solus Deus. Unde Augustinus 10. Confess. cap. 23. Beata quippe vita est gaudium de veritate, hoc est de te, qui veritas es, Deus meus. Et super Psalm. 112. Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium: ipse erit bonum tuum, a quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in suo genere facta sunt bona.

Denique, ut discurret D. Thom. supra relatus, cum 17. Deus sit infinitus potentiae, ab eo aliquid quod sit infinita bonitatis sperare debemus: hoc autem est Deus ipse, non autem actus visionis & fruitionis: sunt enim actus vitales, creati, finiti, & a nobis procedentes: igitur Deus ipse, & non visio, immediate & proxime speratur.

Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quae asserit obiectum formale quod spei non esse aggregatum ex beatitudine formali & obiectiva: Tum quia Augustinus ait obiectum spei nostrae esse summum bonum; in conceptu autem summi boni nihil creatum includitur, atque adeo nec in obiecto spei: Tum etiam quia D. Thomas asserit nihil minus Deo esse ab ipso sperandum: si autem in obiecto spei clauderetur visio, aliquid minus Deo esset a Deo saltem inaduate, sperandum. Addo quod virtus Theologica debet habere pro obiecto formali quod, aliquid pure creatum, non vero mixtum ex creato & increato.

Quod autem beatitudo obiectiva, ut sit obiectum formale quod spei, debeat connotare beatitudinem formalem, evidens est: quia summum bonum non terminat motum & desiderium spei, nisi ut possidendam: Sed non possidetur a creatura intellectuali, nisi mediante visione beati-

beatifica, quæ est ejus consecutio: Ergo visio beatifica, de connotato scilicet, in objecto formali quod spei Theologicæ importatur, veluti actus seu applicatio, qua Deus nobis conjungitur, & infinita illius bonitas bonis applicatur.

Dico tertio: Bona creata que conducunt ad beatitudinem, sunt objecta secundaria & materialia spei.

20 Probatum primo conclusio a simili in fide, & caritate: Per fidem enim credimus multas veritates creatas, ut ordinantur ad Deum, sicut humanitatem Christi, sacramenta, &c. Item per caritatem diligimus proximum, ut est aliquid Dei: Ergo similiter per spem Theologicam, possumus attingere bona creata, ut conducant ad affectuionem Dei. Unde D. Thom. hic art. 2. ad 2. *Spei principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia vero bona que petuntur a Deo, respicit secundario in ordine ad beatitudinem æternam: sicut et fides principaliter quidem respicit Deum, et secundario respicit ea que ad Deum ordinantur.*

21 Probatum secundo ratione a priori: De ratione actus intentionis est, ut non simpliciter velit finem, sed etiam virtualiter media, quia vult finem ut obtinendum per media: Atqui spes per motum intentionis respicit ultimum finem ut possidendum: Ergo etiam respicit media secundario & virtualiter: hæc autem sunt bona creata: Ergo in illa ut in objecta secundaria & materialia fertur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

22 Obijcies primo contra primam conclusionem: Illud quod pertinet ad objectum formale quod spei Theologicæ, quod cadit sub ejus ratione formali sub qua: At non solum beatitudo æterna, sed etiam bona creata, tam naturalia, quam supernaturalia, cadunt sub ratione formali sub qua spei Theologicæ: Ergo pertinent ad objectum formale quod illius. Major videtur manifesta, Minor probatur. Ratio formalis sub qua spei Theologicæ est omnipotentia Dei ut auxilians, ut patet articulo sequenti: Atqui sub omnipotentia Dei ut auxiliante, non solum eterna beatitudo, sed etiam bona temporalia, tam naturalis, quam supernaturalis ordinis, cadunt: Ergo, &c.

23 Respondeo distinguendo Majorem: Illud omne pertinet ad objectum formale quod spei, quod cadit sub ejus ratione formali sub qua: primario & ratione sui, concedo Majorem: secundario, & ratione alterius, ac in ordine ad illud, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: bona creata, tam naturalia, quam supernaturalia, cadunt sub ratione formali sub qua spei Theologicæ, primario, & ratione sui, nego: secundario & ratione alterius, seu in ordine ad illud, nempe beatitudinem, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Solutio est D. Thomæ, tum loco in ultima conclusione citato, ubi ait: *Spei principaliter quidem respicit beatitudinem æternam, alia vero respicit secundario in ordine ad beatitudinem æternam, &c.* tum infra quest. 83. art. 6. ubi docet ex Augustino, quod non licet desiderare, petere, aut querere, subindeque nec sperare, bona temporalia, aut spiritalia, nisi in ordine ad beatitudinem, & ut adminicula ad illam. Unde quando dicitur quod omnipotentia Dei, ut auxilians, hoc debet intelligi, de omnipotentia Dei ut auxiliante in ordine ad æternam beatitudinem: sicut quando dicitur, quod ratio formalis sub qua fidei Theologicæ est veritas Dei, ut obscure revelans veritates supernaturales, hoc intelligitur de veritatibus creatis in ordine ad Deum, & veritatem incretam primario creditam.

24 Dices: Possumus a Deo sperare auxilia supernaturalia ad bene operandum, non preintellecta beatitudine, & quamvis illius non recordemur: immo homo cui facta esset reuelatio sue damnationis, posset sperare a Deo aliquod auxilium supernaturale, ad aliquam operationem supernaturalem eliciendam, & tamen illud non speraret in ordine ad beatitudinem, cum in tali casu eam sperare non posset, ut infra dicemus: Ergo possumus a Deo sperare bona supernaturalia, sine ordine ad beatitudinem.

25 Respondeo, auxilium supernaturale nunquam sperari sine ordine ad beatitudinem: cum enim ex natura sua ordinetur ad ipsam, semper speratur in ordine ad illam, vel expresse & formaliter, vel implicite scilicet, & virtualiter. In casu autem metaphysico hominis, cui facta esset reuelatio sue damnationis, dicendum est, quod ille tunc posset quidem sperare a Deo auxilia ad bene operandum, sed non per spem Theologicam, ex defectu objecti primarii, scilicet beatitudinis: sicut in casu quo Deus obscure reuelaret beato veritatem creatam, quam non videt in verbo, illi ob Deo reuelantis auctoritatem assentiretur, talis tamen assensus non esset Theologicus, nec a fide Theologica, quia ab illa nullus procedit assensus, nisi in ordine ad objectum primario creditum, scilicet Deum, quod objectum a beato non creditur, sed videtur.

Contra primam partem secundæ conclusionis, in qua diximus objectum formale quod spei non esse beatitudinem formalem, sed objectivam, plura possunt obijci argumenta ex Durando. Sic enim argumentatur primo: Deus non potest licite amari amore concupiscentiæ: Ergo neque sperari. Consequentia patet, quia spes vel est ipse amor concupiscentiæ, vel illum supponit circa idem objectum. Antecedens autem probatur: Id quod amore concupiscentiæ amatur, amatur propter aliud, & ordinatur ad illud cui concupiscitur; ac proinde Deum sic amare, est ipsum ad nos ordinare, & illo uti; in quo, ut docet Augustinus, peruersitas voluntatis consistit.

Secundo: Objectum spei debet esse futurum: Sed Deus non est, neque potest esse nobis futurus, cum sit essentialiter æternus, & semper nobis presens sit, & in nobis existat, juxta illud: *Domine mihi incipit ex initio meo.* Ergo non potest esse objectum spei nostre.

Tertio: Idem est objectum spei in via, & delectationis: hæc enim succedit spei, & ejus motum seu desiderium terminat: Sed objectum delectationis in patria non est Deus ipse, sed visio & fructio illius: Ergo nec spei.

Quarto: Illa que a nobis supposito distinguuntur, non sunt nobis immediate bona, sed mediante aliqua actione, vel effectu illius, v.g. Sol est nobis bonus, ratione lucis, & ignis, ratione caloris: Ergo nequeunt a nobis amari immediate ratione sui, sed solum mediante, & ratione alicujus effectus ab illis producti: ac enim ratione debent amari, quia nobis convenientia sunt; unde si solum mediante sint convenientia, non possunt amari immediate, nec consequenter sperari: Sed Deus a nobis supposito distinguitur: Ergo non potest a nobis immediate sperari, sed mediante solum, mediante scilicet visione beatifica, per quam a nobis possidentur.

Denique: Objectum spei est premium in patria a Deo conferendum: At hoc non est Deus, sed ejus visio: Ergo visio Dei, & non ipse Deus, est objectum spei. Minor probatur: Premium nobis in patria conferendum est ut effectus nostrorum meritorum: Sed solum visio, & non Deus, potest esse meritorum nostrorum effectus: Ergo visio solum, & non Deus, est premium nobis conferendum.

Ad primum, nego Antecedens, ad cuius probationem, distinguo Antecedens: quod amatur amore concupiscentiæ, amatur propter aliud, ly *propter* dicente finem cuius gratia, nego Antecedens: ly *propter* dicente finem cui, seu subiectum propter alterum perficiendum, concedo Antecedens: Deum autem sic amare, non est uti Deo, neque illum ad nos ordinare; sed nos ad Deum ut per ipsum perficiendos.

Explicatur, & magis illustratur hæc solutio. Dupliciter possumus ferri in aliquo amore concupiscentiæ: Primo propter nos ipsos, ut quando cibum & potum ad vite nostre conservationem appetimus: hoc modo fatemur Deum non nisi perverfe amari posse, quia cum ipse sit finis ultimus omnium, non potest in aliud tanquam in finem ordinari. Secundo possumus aliquo amare, non quidem propter nos, sed nobis, ita ut nos ipsi non habeamus rationem finis, sed tantum subiecti, cui illud quod amamus, convenit & applicatur; ut cum proximo nos speramus beatitudinem, certum enim est, ipsam in eum non referri tanquam in finem, cum ipse proximus potius ad eam ordinetur & referatur: & similiter cum Pater in Divinis dedit nobis Filium suum, certum est ipsum Patrem noluisse nos ipsos esse finem sui amoris & donationis; sed potius seipsum. Pari modo, quando per spem ferimur in Deum, tanquam in bonum nostrum, seu amore concupiscentiæ, non referimus Deum in nos ipsos tanquam in finem (esse enim hæc ordinatio perverfa) sed tantum eum nobis exoptamus: quod non potest esse perversum, cum licitum sit & honestum, Deum sibi & animæ suæ diligere. Deinde quando per spem Deum nobis ipsis diligimus, non diligimus eum propter commodum aliquod distinctum a Deo, quod nobis ab ipso proveniat (sic enim perverfe diligeretur, nempe propter donum aliquod creatum) sed diligitur propter incretam bonitatem suam, quatenus nobis applicatur, hæc enim bonitas increta est tantum bonum nostrum; ideoque amor illi concupiscentiæ non potest esse vitiosus, cum in aliud aliud a Deo non feratur, sed solum in ejus incretam bonitatem, nobis conjunctam & applicatam.

Ad secundam distinguenda est Major: objectum spei debet esse futurum, in se, nego Majorem: in se, vel in sui affectuione, concedo Majorem; & concessa, vel distincta Minori, nego Consequentiam. Vel secundo distinguo Majorem: Objectum spei est bonum futurum, ita ut futurum sit ratio formalis objecti, ut ad illam pertinet, nego Majorem: ita ut sit modus, vel conditio objecti, concedo Majorem, & Minorem, & nego Consequentiam. Sicut enim esse non visum, seu obscure cognitum, pertinet ad objectum formale quod fidei, solum per modum conditionis, non vero per modum rationis formalis creditæ,

alioquin teneretur credere Deum esse non visum, sed solum per modum conditionis ad illud requisite: ut disp. 1. art. 5. declaravimus: ita pariter dici potest, esse futurum non pertinere ad objectum formale quod virtutis spei, ut rationem formalem illius, sed tantum conditionem ad illud necessario requisitam.

Ad tertium nego Minorem: delectatio enim, seu fructio patriæ, est primario de Deo, & secundario tantum de visione beatifica, ut in Tractatu de beatitudine ostendimus, disp. 4. art. 2. & plura argumenta in contrarium, que ibidem videri possunt, dissolvimus.

Ad quartum, nego Antecedens: Illa enim que a nobis possideri possunt, etsi supposito distinguantur, sunt nobis immediate bona, quia possessio seu unio immediationem boni non impedit, sicut usque unio inter objectum & formam impedit quominus forma sit immediate conveniens materiæ: unde licet Deus non conjungatur, nec possideatur ab anima beata, nisi mediante visione beata, non sequitur quod non sit bonus illi immediate, subindeque objectum primarium & immediatum spei in vita, & delectationis in patria.

Ad ultimum, variis omissis solutionibus, dicendum est, quod premium duo habet, nempe quod conferatur intuitu meritorum, & quod sit meritorum effectus: primum habet Deus ratione suæ bonitatis, ob quam est summum bonum nostrum, quod nobis conferatur intuitu meritorum; secundum vero non convenit illi ratione sui, & in se, sed in sui possessione, que a meritis causatur; non enim requiritur, bonum quod conferatur in premium, causari a meritis, sed sufficit, si illius possessio causetur: merita enim mittunt v.g. cui conferatur equus in premium, non causant equum, etiam moraliter, sed solum possessionem equi. Objectum ergo spei est premium, quantum ad rationem boni in premio importatum, non quantum ad rationem effectus, que secundario tantum, vel de connotato, in objecto spei importatur.

§. III.

Alia argumenta solvuntur.

Contra secundam partem ejusdem conclusionis, in qua diximus beatitudinem formalem, seu visionem beatam, non ingredi, etiam partialiter & inadæquate objectum formale quod spei Theologicæ, obijci potest primo: Deus est objectum spei, ut summum bonum nos beans: Sed prout nos beans includit beatitudinem formalem, seu possessionem equi, tanquam rationem formalem beandi: Ergo beatitudo formalis ingreditur objectum spei formaliter, & non per modum conditionis.

Secundo: Deus est objectum spei, prout nobis conveniens, & se nobis communicans, & contentus felicitatis commodum: Sed prout sic, includit collationem felicitatis, que in visione consistit: Ergo visio in objecto formali spei, inadæquate saltem & partialiter includitur.

Tertio: Deus ut possidendus includit formaliter, possessionem sui: Sed ut possidendus, est objectum spei: Ergo ut objectum spei formaliter includit sui possessionem, subindeque formalem beatitudinem.

Quarto: Visio beata est bona & ardua, consequibilis vi omnipotentia divine: Ergo ut quod attingitur a spe, & non solum per modum conditionis in objecto ejus importatur.

Denique: Objectum formale spei est ultimus finis creature rationalis: At beatitudo formalis, que est visio, & beatitudo objectiva, que est Deus clare visus, non sunt duo fines, sed unicus: Ergo ex illis constituitur objectum formale quod spei in via, & delectationis seu fruitionis in patria.

Ad primum respondeo, quod cum beatitudo sit duplex, una formalis, & alia objectiva, beare (quod idem est ac facere se constitutere beatum) suntur dupliciter, objective scilicet, tanquam bonum satiativam appetitus, & formaliter, tanquam possessio illius boni: primum convenit Deo, ratione sue bonitatis, secundum autem, ratione visionis. Unde in forma Major distinguenda est: Deus est objectum spei ut nos beans, beatitudine objectiva, & tanquam bonum satiativam appetitus, concedo Majorem, ut nos beans beatitudine formali, & ut per visionem possidens, subdistinguo, si ly *nos*, denotet conditionem, concedo Majorem: si autem denotet rationem formalem, nego Majorem: & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Ad secundam dicendum, quod in Deo, ut se communicante, duo importantur, nempe bonum communicatum, & ipsa actualis communicatio, que in unione Dei cum intellectu per modum verbi, & in visione creata consistit. Deus ergo, ut nobis communicatus, est objectum spei, communicatione in obliquo, & per modum conditionis ingrediente; non in recto, & per modum forme. Unde ad tertium, concessa Majori, distinguo Minorem: Deus ut possidendus est objectum spei, ly *ut*, dicente

conditionem, concedo Minorem: dicente rationem formalem, nego Minorem, & Consequentiam.

Ad tertium, concedo Antecedente, distinguo Consequens: visio beata a spe attingitur ut quod, tanquam objectum primarium, nego consequentiam: tanquam secundarium, concedo consequentiam: sicut enim alia bona sperantur a Deo secundario in ordine ad beatitudinem, sic visio, considerata ut quod, potest actum spei terminare, non tanquam objectum primarium, sed tanquam secundarium.

Ad ultimum respondeo, quod quamvis beatitudo formalis & objectiva non faciant nisi unicum finem totalem, quia tamen ipsa beatitudo formalis est aliquid creatum, per se ordinatum ad beatitudinem objectivam, non pertinet ad objectum formale quod spei, quia est contra rationem objecti formalis, ordinari ad aliquid ulterius, & contra rationem virtutis Theologicæ, respicere primario aliquid creatum. Quamvis ergo concedatur, unico & eodem actu spei hic in via, & unico actu fruitionis in patria, posse attingi beatitudinem formalem & objectivam, adhuc tamen salyatur beatitudinem attingi tantum ut objectum secundarium, quia scilicet est aliquid creatum, & ulterius ordinatum. Neque repugnat, quod eodem actu attingatur primario & in recto objectum formale, & secundario, ac in obliquo objectum materiale & secundarium; maxime quando illud est conexum cum formali, sicut contingit in proposito.

ARTICULUS III.

Quantum sit ratio formalis sub qua, seu objectum motuum, spei Theologicæ.

§. I.

Referuntur sententiæ, & vera eliguntur.

In hujus difficultatis resolutione Auctores in varias viduntur sententiæ, quos tamen ad tres precipuas reduci posse existimo. Prima docet, arduitatem esse rationem formalem sub qua spei Theologicæ, illam a caritate distinguentem. Sic videntur sentire Paludanus, Richardus, & D. Bonaventura, & in hæc Cajetanum inclinare, dicit Aravius. Secunda asserit rationem formalem sub qua spei, esse bonitatem objecti sperati, non secundum se, sed ut relatum ad personam sperantem, hoc est, ut illi convenientem & commodam. Ita Scotus, Suarez, Granado, & alii ex Recentioribus, qui tamen hæc sententiam in varios explicandi modos dividunt. Tertia existimat omnipotentiam Dei, ut auxiliantem, esse rationem formalem sub qua, seu objectum motuum spei; sicut veritas prima, ut revelans & testificans, est objectum formale sub quo fidei, ut disputatione 1. ostendimus. Hanc tenent communiter Thomistæ cum Angelico præceptore, locis mox citandis, quos sequuntur Vazquez, Turrianus, Merattus, Malderus, & alii: Cum quibus

Dico, rationem formalem sub qua spei, esse omnipotentiam divinam, sive Deum ut auxiliantem, non vero arduitatem objecti sperati, vel ejus bonitatem, ut nobis convenientem, & amabilem amore concupiscentiæ.

Hanc conclusionem expresse docet D. Thom. variis in locis, præsertim in questionibus disputatis, quæ unica de spe art. 1. ubi hæc scribit: *Spei adspiciendi vitam æternam habet duo objecta, scilicet ipsam vitam æternam, quantum quis sperat, & auxilium divinum a quo sperat: sicut etiam fides habet duo objecta, scilicet rem quam credit, & veritatem primam cui correspondet. Fides autem non habet rationem virtutis, nisi in quantum inhaeret testimonio veritatis primæ, ut ei credat quod ab ea manifestatur, secundum illud Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reparatum est ei ad justitiam: unde & spes habet rationem virtutis, ex hoc ipso quod homo inhaeret auxilio divini potentis ad consequendam vitam æternam. Et paucis interpolatis addit: Si igitur sicut objectum formale fidei est veritas prima, per quam, sicut per quoddam medium, ostendit hiis que dicuntur: ita objectum formale spei est auxilium divini potentis & potentis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, que sunt materiale objectum spei. Idem docet art. 4. ubi ait: *Spei, secundum quod est virtus Theologica, objectum formale est auxilium divinum, cui inhaeretur.* Et hic quest. 17. artic. 1. sic habet: *In quantum speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cuius auxilio inquiritur.* Quæ testimonia adeo clara & aperta sunt, ut merito mirretur Ripalda esse aliquem de mente Sancti Doctoris dubitantem.*

Adverte tamen, quod quando D. Thomas dixit auxilium divinum esse objectum formale spei, non loquitur de auxilio creato in voluntate recepto, sed de increato, quod est ipsa Dei omnipotentia, nobis preparans, & contentens seu offerens creata auxilia: cum enim spes sit virtus Theologica, oportet quod ejus ratio sub qua sit aliquid increatum.

Adverte

49 Adverte etiam; Deum, ut est bonum nostrum, appellari a D. Thoma, objectum materiale spei, non absolute, cum revera sit objectum formale quod, ut articulo precedenti ostendimus, sed comparative ad id quod est objectum formale quo, sicut color, qui est objectum quod visus, comparative ad lucem, quæ est ejus ratio formalis sub qua, objectum materiale appellatur; licet revera sit objectum formale, respectu corporis quod afficit, & visibile reddit, & quod proprie objectum materiale nuncupatur. His præmissis

50 Probat conclusio ratione fundamentali, quam S. Doctor locis citatis insinuat: Illud cui spes innititur, tamquam medio & rationi sperandi vitam æternam, & alia ad ipsam conducentia, est ratio sub qua spei; sicut illud est ratio sub qua fidei, quod est ratio & motivum assentiendi veritatibus revelatis: At illud cui spes beatitudinis tamquam medio & ratione sperandi innititur, non est ratio ardui: Ergo arduitas non est ratio sub qua virtutis spei. Probat Minor, tum quia arduitas, seu difficultas, non movet ad boni perfectionem, sed potius retrahit, & est motivum desperationis, ut saepe docet S. Thomas: Tum etiam quia arduitas comparatur ad spem, sicut obscuritas ad fidem: At qui obscuritas non est ratio formalis, sub qua in objecto fidei, sed conditio tantum, seu modus illius: Ergo & arduitas respectu objecti spei: Similiter licet ratio formalis & motiva, quare desideramus & amamus beatitudinem, sit illius bonitas, ut nobis conveniens, & comoda, ita tamen quod maxime nos movet & excitat ad illam sperandam, est divina omnipotentia ut auxilians, seu ut preparans, & offerens auxilia necessaria ad illam obtinendam, ut docet D. Thomas hic art. 4. his verbis: *Spes respicit beatitudinem æternam sicut finem ultimum; divinam autem auxilium, sicut primam causam inducentem ad beatitudinem.* Unde Psal. 17. dicitur, *Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.* Ubi David pro ratione & motivo ad sperandum, assumptis adiutorium Dei. Et Gen. 25. Deus dixit Abraham: *Ego sum protector tuus, & merces tua magna nimis.* Ubi, ut erigeretur animus ad sperandam mercedem beatitudinis, Deus protectionem suam adjunxit. Ad etiam insinuare videtur Apostolus ad Hebræos 6. ubi spem comparat anchoræ: sicut enim anchora, dum per aquam descendit, non firmat navim, quoniam aqua elementum est liquidum & instabile; at dum terræ adheret, firmissimo navim retinet: sic spes nostra, dum adheret promissionibus hominum, non potest non semper nutare, sed cum in Dei veritate & potentia figitur, & efficacia gratiæ celestis innititur, firmissima & inconcussa permanet: Igitur omnipotentia Dei, ut auxilians, erit ratio formalis sub qua nostra spei.

51 Confirmatur exemplo fidei, a D. Thoma saepe adducto: Ideo enim divinum testimonium est ratio formalis sub qua fidei, quia in illud fit ultimo resolutio fidei nostræ; nam interrogatus quis, quare credat, & sibi persuadet Deum esse Trinum in Personis, recte & adæquate respondet, quia Deus dixit: At qui similiter ultima spei nostræ resolutio fit in divinam omnipotentiam, ut auxiliantem; nam interrogatus quis, quare beatitudinem speret, respondet recte, quia Deus est misericors & omnipotens, & auxilio suæ pietatis & bonitatis ad illam consequendam nobis assistit: Ergo pariter ratio formalis sub qua spei nostræ est omnipotentia divina ut auxilians.

52 Confirmatur amplius ex egregia connexionione, quæ est inter objectum quod speramus, & objectum in quo speramus, obquam se mutuo inferunt: quia enim quod speratur est Deus, non in alio sperandum est quam in Deo, nam ab alio obtineri non potest: & quia Deus est in quo speramus, nihil minus a Deo quam Deum ipsum sperare debemus; quia a tam magnifico Domino nihil minus sperare decet, quam quod ipse est. Unde, ut supra annotavimus, D. Thomas non aliam a Deo postulavit mercedem laborum, quam Deum ipsum. *Nec pecunia* (ut belle ait quidam Recentior) *eligere majus, nec debuit minus; male scripserat, si aliter eligisset.*

§. II.

*Solvuntur objectiones.*

53 Objicies primo: D. Thomas hic art. 3. & quæst. unica de spe art. . . ponit rationem ardui in definitione spei: Ergo existimat illam pertinere ad ejus objectum formale. Sed non pertinet ad ejus objectum formale quod, quia arduum non dicit aliquam bonitatem: Ergo spectat ad rationem formalem sub qua.

54 Respondeo rationem ardui posse dupliciter sumi: primo pro ipsa difficultate, orta ex impedimentis a consecutione boni concepti retardantibus: secundo radicaliter pro eminentia sui excellentiæ boni divini. Hoc secundo modo pertinet ad objectum formale quod spei, quia induit quandam specialem rationem bonitatis, nimirum rationem seu preiositatem, ut docet S. Thomas in 3. dist. 26. q. 1. art. 2. ad 1. his verbis: *Difficile vel arduum addit quoddam*

*specialem rationem bonitatis, scilicet preiositatem quandam, ex hoc ipso quod difficili non habetur, sicut dicitur omne rariū carum.* Primo autem modo se habet tantum ut modus vel conditio objecti formalis quod spei, non vero tantum ratio sub qua; quia ut sic non est motivum & ratio sperandi aliquod bonum a Deo, sed potius ratio recedendi ab illo bono, ut supra annotavimus.

Objicies secundo: Amor & desiderium, quo amamus & desideramus nobis Deum ut summum bonum nostrum, est actus spei: At non respicit tamquam objectum formale omnipotentiam Dei, seu ejus bonitatem, ut nobis convenientem & commodam: Ergo objectum formale sub quo spei non est omnipotentia Dei ut auxilians, sed ejus bonitas ut nobis conveniens. Major probatur: Actus ille est bonus supernaturalis, & Theologicus: Sed non elicitur a caritate, cum illa terminetur ad Deum ut bonum in se, neque a fide, cum sit actus voluntatis: Ergo a spe. Major pro prima parte constat: Deus enim ut summum bonum nostrum, est amabilis a nobis secundum rectam rationem: Ergo actus, quod illum sic diligimus, est bonus. Quoad secundam partem probatur: Deus ut summum bonum, nos beatificans est objectum supernaturalis: Ergo actus quod attingitur, supernaturalis est. Quoad tertiam constat: nam objectum illius actus est aliquid increatum: Ergo ille actus est Theologicus.

Hinc argumento communi resolutione respondeo, ne 56 purgatorio, remanere. Tum quia, ut precedenti disputatione vidimus, in illis remanet fides, quæ est basis & fundamentum spei: Tum etiam, quia cum beatitudo respectu illarum sit adhuc absens, & assequenda per graves cruciatus & penas purgatorii, habet rationem boni absentis, & ardui, adeoque est materia spei, ut docet D. Thomas hic q. 18. art. 3. in fine corporis, & alii communitur. Nec obest quod illa alene certissime sint de gloriæ ascensione; certitudo enim non obest actui spei. Idem dicendum est de amibus Patriarcharum, quæ ante passionem Christi in Lybno detinebantur: nam illic pariter habebant spem, quia nondum erant beatitudinem adepti, sed eam ex auxilio divino, & sub promissione divina expectabant. Unde Sapient. 3. de veteribus illis Patriarchis dicitur, *Spes illorum immortalitate plena est: id est, non motitur, sed vivit eorum spes, quædiu sunt in hoc statu.*

Objicies tertio: Deus ut auxilians importat tantum rationem causæ efficientis: Sed causæ efficiens non specificat, cum specificatio reducat ad causam formalem: Ergo Deus ut auxilians, non est ratio formalis specificans virtutem spei.

Respondeo, sub hoc nomine, *causæ efficiens*, latere invocationem, ut recte observat Joannes a S. Thoma, nam licet causæ efficiens habitum spei, seu illum infundens, non possit illum specificare, quia rationem causæ pure efficientis habet: bene tamen causæ efficiens, sui preparans auxilia ad beatitudinem conducentia: cum enim talis causæ moveat & excitet ad sperandam beatitudinem, objectum motivum & specificativum spei Theologicæ ingreditur, subindeque non solum habet rationem causæ efficientis, sed etiam formalis extrinsecæ, & specificantis. Unde Major argumenti fallax est, & neganda: Deus enim, ut auxilians, utramque genus causalitatis, efficientis scilicet, & formalis extrinsecæ, importat: efficientis quidem respectu auxiliorum quæ confert, vel offert; formalis vero intrinsecæ, per ordinem ad actum vel habitum spei, quem specificat.

Objicies quarto: Ratio sub qua spei debet esse ratio aliqua boni: At omnipotentia ut auxilians non pertinet ad lineam boni formaliter, sed ad rationem entis: Ergo non est ratio formalis sub qua spei.

Respondeo primo, negando Majorem: licet enim ratio quæ spei debeat esse aliqua ratio boni, utpote quæ sola potest apperi; ratio tamen sub qua non debet esse aliqua ratio boni, sub conceptu formali, & expressio bonitatis, quia ratio sub qua spei non est illud quod appetitur, sed cui spes innititur, ad superandam difficultatem, cum bono sperato conjunctam; quod, ut patet, non exprimit bonitatem & convenientiam, sed virtutem & potentiam. Respondeo secundo, data Majori, distinguendo Minorem: omnipotentia ut auxilians non pertinet ad lineam boni, ut quod, concedo: ut quo, nego; licet enim bonitatem & convenientiam non exprimat, est tamen principium effectivum beatitudinis, & mediatorum quæ ad illam conducunt; quod est esse bonum ut quo.

ARTICULUS IV.

*Utrum in beatis & comprehensibilis habitus spei Theologica remaneat?*

Supponitur primo tamquam certum, spem reperiri in 69 omnibus viatoribus, præterquam in hæreticis, vel infidelibus. Si enim viatores sint pii & iusti, non est dubium quin spes in illis residet, quippe qui suæ hac, non minus quam

quam sine fide & caritate, iusti & pii esse nequeunt. Si vero sint peccatores, dampnato de salute non desperent, habitum spei Theologicæ retinent: cum enim fides & spes sint semina gratiæ, & aliarum virtutum, Deus voluit eas in peccatoribus remanere, veluti duas post naufragium tabulas, ut earum ope facilius possent redire ad gratiam, & a peccato relurgere; unde Tridentinum sess. 6. docet peccatores per spem & fidem disponi ad justificationem: Ergo spes in omnibus viatoribus, est peccatores sint, & aliis donis & virtutibus infusus spoliati, remanet, juxta illud Matæ 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodomam fuissetis, & quasi Gomertha similes essemus.* Dixi, præterquam in hæreticis, cum enim fides sit fundamentum spei, & in hæreticis non sit fides supernaturalis & infusa, sed naturalis tantum & humana, ut disputatione precedenti art. 2. ostendimus, manifestum est in ipsis pariter non esse spem infusam & Theologicam, sed duntaxat naturalem & acquisitam, quæ est amor quidam naturalis concupiscentiæ respectu beatitudinis, & tendentia quædam spei inclinatio ad ipsam, seu quæ expectatio ejusdem; quod totum in hæreticis est omnino humanum, quia putant se vel viribus humanis, sine Dei gratia, ut Pelagiani, vel per solam Dei gratiam, absque ullis bonis operibus, ut Lutherani & Calvinisti, beatitudinem consecuturos, quod tamen impossibile est.

63 Supponimus secundo, spem in animabus quæ torquentur in purgatorio, remanere. Tum quia, ut precedenti disputatione vidimus, in illis remanet fides, quæ est basis & fundamentum spei: Tum etiam, quia cum beatitudo respectu illarum sit adhuc absens, & assequenda per graves cruciatus & penas purgatorii, habet rationem boni absentis, & ardui, adeoque est materia spei, ut docet D. Thomas hic q. 18. art. 3. in fine corporis, & alii communitur. Nec obest quod illa alene certissime sint de gloriæ ascensione; certitudo enim non obest actui spei. Idem dicendum est de amibus Patriarcharum, quæ ante passionem Christi in Lybno detinebantur: nam illic pariter habebant spem, quia nondum erant beatitudinem adepti, sed eam ex auxilio divino, & sub promissione divina expectabant. Unde Sapient. 3. de veteribus illis Patriarchis dicitur, *Spes illorum immortalitate plena est: id est, non motitur, sed vivit eorum spes, quædiu sunt in hoc statu.*

64 Supponimus tertio, spem non remanere in damnatis, ut docet D. Thomas hic quæst. 18. art. 3. & cum eo omnes Theologi. Ratio est primo, quia ut disputatione precedenti ostendimus est, in ipsis non reperitur fides infusa: Ergo neque spes; par enim est utriqueque ratio, & fides est fundamentum spei, ejuisque regula. Secundo, quia ad illorum damnationem pertinet, certos esse de sua perpetua damnatione, & impossibilitate suæ salutis, juxta illud Job: *Non crederet quod reversus possis de tenebris ad lucem:* unde non possunt apprehendere salutem ut sibi possibilem, nec per consequens illam sperare. Hinc Hugo Victorinus lib. 4. de anima, infernum sic describit: *infernus, profundum sine fundo, ubi nulla spes boni, & multa desperatio mali.* Tertio: Damnatis nulla gratia confertur, & si que dona gratuita ante damnationem habebant, ipsa damnatione auferuntur: Ergo spe Theologica, ad quam gratia requiritur, sperare non possunt. Denique SS. Patres inveniuntur in Origenem, eo quod assererent damnatos fore aliquando salvos, eorumque penas tandem aliquando firmandas, & per consequens in eis spem remanere: præsertim Augustinus lib. de hæresibus cap. 43. ubi loquens de iplo, ait, *Enim misericordiorum fuisse quam deceret, & sanctorum errasse deservimus, quanto sensu hac in re Clementinus.*

65 Hæc apud omnes Theologos certa & indubitata sunt. Sed difficultas est, utrum in beatis & comprehensibilibus habitus spei Theologicæ remaneat? Suarez enim in Tractatu de spe, disp. 1. sect. 8. Coniñch disp. 19. dubio 10. Martinonius disp. 16. sect. 6. & alii ex Recentioribus, docent illam remanere in beatis quoad aliquos actus: Thomistæ & contra spem in patria nullatenus reperiri contendunt. Unde

66 Dico, habitum spei Theologicæ non remanere in beatis. Ita D. Thomas hic quæst. 18. artic. 2. ubi id probat primo in argumento *sed contra* ex illo Apostoli ad Rom. 8. *Quod videt quis quid speret?* Sed beati fruuntur Dei visione: Ergo in eis spes locum non habet. Secundo id demonstrat in corpore articulari ratione a priori, quæ potest sic breviter proponi. Cui repugnat actus alicujus virtutis, repugnat etiam habitus: Sed beatis repugnat actus spei Theologicæ: Ergo & habitus. Major est evidens: quia cum habitus sit essentialiter principium actus, non potest efficere (suum subiectum, nisi hoc ipso communicet illi hunc effectum formalem, qui est esse principium actus: Ergo cui repugnat actus, repugnat etiam habitus. Minor vero probatur: Proprius actus spei respicit vitam æternam ut futuram, arduam, & possibilem haberi: Sed beatis non est ardua, nec futura beatitudo æterna, cum illam possideant: Ergo in beatis non est actus spei de æterna beatitudine.

Dices primo: quod licet in beatis non possit esse actus spei de beatitudine quoad ejus adeptionem, cum illam possideant, bene tamen quoad ejus continuationem.

Sed contra: Cum beatitudo mensuretur æternitate participata, ejus continuatio non habet rationem futuri, & dato quod illam haberet, non habet rationem ardui respectu ejus qui beatitudinem obtinet, utpote necessario annexa ipsi essentie beatitudinis, quæ ex natura sua est impassibilis & æterna. Ita D. Thomas in questionibus disputatis quæst. unica de spe art. 4. ad 3. ubi hæc scribit: *Continuatio beatitudinis non habet rationem futuri, quia in quantum aliquis homo sit beatus, æternitatem participat, in qua non est præteritum & futurum; unde in beatitudine illa dicitur vita æterna.* Dato etiam quod illa haberet rationem futuri, non habet rationem ardui, respectu ejus qui obtinet beatitudinem: ex hoc enim ipso accepit non solum suam cultatem, sed etiam necessitatem quædam nunquam peccandi: sed semper permanendi, & ideo retinetur tollitur ratio spei.

Dices secundo: quod licet in beatis non possit esse actus spei de beatitudine anime, quam possident, bene tamen de beatitudine corporis, quam nondum habent.

Sed hæc responsonem efficaciter impugnat S. Doctor hic q. 28. art. 2. ad 4. ubi sic dicitur: *Cum spes sit virtus Theologica, habens Deum pro objecto, principale objectum spei est gloria anime, quæ in fruitione divina consistit, non tamen gloria corporis. Gloria etiam corporis, est habens rationem ardui, per comparationem ad naturam humanam, non habet tamen rationem ardui habenti gloriam anime; tum quia gloria corporis est minimum quiddam in comparatione ad gloriam anime: tum etiam quia habens gloriam anime, habet jam sufficienter causam gloriam corporis.* Similia habet 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 3. ubi ait: *Respectu gloriæ corporis in animabus sanctorum potest quidem esse desiderium, non tamen spes proprie loquendo, neque secundum quod spes est virtus Theologica (si enim ejus objectum est Deus, non autem aliquid bonum creatum) neque secundum quod communiter sumitur: quia objectum spei est arduum, bonum autem ejus jam inevitabilem causam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui: unde non proprie dicitur aliquis qui habet argentum, sperare se habiturum aliquid quod statim in potestate ejus est, ut emas, & similiter illi qui habent gloriam anime, non proprie dicuntur sperare gloriam corporis, sed magis desiderare.* Ex his patet, beatos nihilominus sperare spe Theologica neque gloriam corporis, neque gaudia accidentalitæ, nec aliorum beatitudinem, ita Suarez existimat: Nam spe Theologica omnia sperantur in ordine ad beatitudinem primario speratam: Sed possessa beatitudine nihil speratur in ordine ad illam primario speratam, cum illa non speretur: Ergo spe Theologica nihil potest sperari a beatis; subindeque nec habitus spei Theologicæ in ipsis remanere.

Dices tertio cum Suarez: quod quamvis daretur in 69 beatis non remanere habitum spei Theologicæ in ordine ad actum sperandi gloriam corporis, vel alia bona & præmia accidentalitæ; in ipsis tamen reperitur quoad aliquos actus; nempe quoad amorem concupiscentiæ, quod beati Deum ut bonum sui proprium diligunt, & quoad fruitionem seu delectationem, quæ de ejus possessione delectantur. Sed hæc responso & doctrina Suarez, quæ est precipuum ejus fundamentum, ut in Tractatu de beatitudine impugnata est disp. 4. art. 2. ibi enim ostendimus illos duos actus in beatis non ab habitu spei, sed a virtute caritatis elici, per quam non solum Deum, & proximum, sed etiam seipsos amant: subindeque per illam Deum ut bonum sui proprium diligunt, & de ejus possessione delectantur; ab eodem enim habitu elicitur delectatio de bono possessio, a quo oritur illius dilectio, ut docet D. Thomas infra quæst. 28. art. 4. ubi ait eundem esse habitum ad diligendum, & ad desiderandum bonum dilectum, & ad gaudendum de eo. Argumenta quæ contra nostram conclusionem fieri solent, præmittimus, quia loco citato propofita & soluta sunt.

ARTICULUS V.

*Utrum homo cui facta esset revelatio suæ damnationis, adhuc possit & reveretur sperare beatitudinem?*

§. I.

*Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.*

Suppono primo tamquam certum, dari aliquod præceptum spei, quo homo teneatur sperare beatitudinem, & ea omnia quæ ad eam consequendam sunt necessaria. Ita enim ex variis Scripture locis colligitur, præsertim ex illo Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino:* ubi eodem tenore continetur præceptum iuste agendi, & sperandi. Et similiter Apostolus ad Titum 2. expectationem beatitudinis conjugit aliis quæ jubentur sub pœna æternæ damnationis, cum sic ait: *Apparere gratia*

*gratia Dei omnibus hominibus, erudiens aut, ut abnegaret imperium, & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie vitam in hoc saeculo, expectantes beatam spem: nam pro secularibus desideriis subsistunt inter alia expectationem beatæ spei, & eam conjungit cum aliis ad salutem necessariis, quæ sunt sobrie, iuste, & pie vivere. Adde quod inter alia præcipit, quæ Timotheus ex præscripto Apostoli divitiis dare debebat, erat spes: Præcipit (inquit) divitiis hujus saeculi non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. Denique inter peccata quæ fuerunt causæ reprobationis Regis Saul, numeratur illud, quod non speraverit in Domino. Et Sapient. a. exprobat impis, quod non speraverit mercedem iustitiæ. Accedit præterea ratio manifesta: nam contra rectam rationem est, non confidere de Dei potentia & misericordia, & negligere, aut non efficaciter profectui tantum bonum, quantum est vita æterna, cum certa promissione oblatum, aut non velle subire laborem, illius assequendi gratia necessarium: Ergo datur præceptum naturale spei, quo homo tenetur sperare beatitudinem, & omnia quæ ad eam consequendam sunt necessaria; quamvis illud non exierit in Decalogo: quia ut ait D. Thomas hic quest. 22. artic. 1. est præambulum ad ipsum Decalogum, non minus quam fides: sicut enim non possumus legem alicujus suscipere, nisi prius credamus eum habere auctoritatem leges ferendi; sic etiam eandem legem non possumus approbare, & velle observare, nisi prius certo teneamus præmia quædam prospecta esse observantibus talem legem, quæ ab omnibus ejus cultoribus firmiter sperari & expectari possunt: ideoque non debuit præceptum spei, sicut nec mandatum fidei, in Decalogo recitari.*

71. Suppono secundo casum in titulo articuli positum, esse quidem impossibilem de potentia ordinaria, esse tamen possibilem de potentia absoluta, ut docet S. Thomas quest. 23. de veritate, art. 8. ad 2. h. verbis: *Ad secundum dicitur, quod quantum de potentia absoluta Deus potest revelare suam damnationem alicui, non tamen hoc potest fieri de potentia ordinaria, quia talis revelatio cogret cum dispensare. Et si alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædicationis, vel prædicationis, sed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur superflua conditio maritorum.* Potest ergo Deus, juxta D. Thomam, de potentia absoluta, alicui suam revelare damnationem absolute, & secundum modum prophetiæ prædicationis, & prædicationis, non revelato peccato.

72. Ratio etiam id suadet: Nulla enim est implicantis, quod Deus suam scientiam cui voluerit communicet: Sed Deus seip. reprob. damnationem: Ergo poterit ipsi hanc scientiam per revelationem communicare.

73. Confirmatur primo: Deus potest alicui damnationem alterius revelare, ut constat in Christo Domino, qui novit omnium reprobatorum damnationem; & in reprobatione Antichristi, universali Ecclesie revelata: Ergo & ipsi reprobo poterit propriam damnationem revelare.

74. Confirmatur secundo: Deus potuit habere decretum non conferendi gratiam efficacem ad resurgendum a peccato homini committenti adulterium v. g. & hoc decretum hominibus revelare: At in casu isto homo committens adulterium certus esset suæ damnationis: Ergo illius non implicat certa notitia.

75. Supposita ergo hujus casus possibilitate absoluta, inquirimus in presenti, an homo ille cui suæ damnationis facta esset revelatio, adhuc posset, & teneretur ex præcepto spei sperare æternam beatitudinem? In cujus difficultatis resolutione Gregorius de Arimino & Victoria, quos sequuntur Granada, & Martinonius, partem affirmantem tenent: negantem vero amplectuntur Thomiste; Cum quibus

Dico: Si Deus alicui suam damnationem revelaret, ille posset quidem adhuc desiderare & concupiscere beatitudinem; non tamen illam sperare; subindeque ex præcepto spei non teneretur sperare illam.

76. Prima pars conclusionis manifesta est: Nam desiderium & amor non respiciunt bonum ut consequendum, neque alicujus horum actuum est motus aggressivus ad vincendum arduitate beatitudinis, sed illam respicit secundum se, & ut absolute bonam: Atqui posita revelatione de futura damnatione adhuc beatitudo apparet bona & possibilis secundum se: Ergo poterit adhuc desiderari & amari.

77. Secunda vero pars hædret: Potentia ad sperandum includit, vel supponit judicium de futuratione beatitudinis: Sed tale judicium non potest reperiri in illo cui suæ damnationis revelatio facta est: Ergo nec potentia ad sperandum beatitudinem. Major videtur certa: potentia enim expedita ad actum voluntatis elicendum includit, vel supponit cognitionem intellectus, regulantem actum voluntatis: Sed judicium de futuratione beatitudinis est cognitio regulans actum spei: Ergo potentia expedita ad actum spei, hoc judicium includit, vel supponit. Minor vero probatur: Facta revelatione damnationis, homo est certus se non consequatur salutem: Sed cum hæc cer-

titudine non fiat judicium de illius futuratione, cum ista duo judicia sint contradictorie opposita: Ergo judicium de futuratione beatitudinis, non potest reperiri in illo cui suæ damnationis revelatio facta est.

Respondent Adversarii, concessi Majori, negando Minorem: cum enim (inquit) facta homini revelatione de sua damnatione, possit illi non assentiri, potest etiam judicare, non obstante tali revelatione, se posse consequi beatitudinem; ac proinde habere potentiam ad illam sperandam: sicut in homine infideli, stante revelatione mysterii sanctissimæ Trinitatis, potest pro illius libertate esse judicium oppositum, nimirum Deum non esse Trinum in personis.

Hanc solutionem aliqui conantur evertere, limitando conclusionem ad revelationem creditam. Unde asserunt, quod licet facta revelatione, cui homo libere non assentiat, ut potest, sit potentia ad sperandum, non tamen stante assensu revelationis, cum quo judicium ad spem requisitum componi requirit.

Sed præterquam quod hæc doctrina conclusionem nostram limitat, solutionem datam non infringit. Quod fiet ostendo: Licet cum assensu prædictæ revelationis non componatur judicium de consecutione salutis, tamen cum illo fiat potentia ad tale judicium habendum, cum sit potentia ad non assentiendum tali revelationi: Ergo etiam cum tali assensu fiat potentia ad sperandum.

Explicatur & magis illustratur hæc ratio: In homine libere desuperante reperitur hoc judicium, non consequens salutem; cum quo alterum judicium de ejusdem salutis consecutione componi nequit, & tamen in illo homine est potentia ad sperandum: quia cum judicium de non consecutione salutis sit liberum, potest oppositum formare: Ergo similiter, quamvis cum assensu revelationis prædictæ non componatur judicium requisitum ad spem, poterit tamen componi potentia ad sperandum; quia talis assensus pro hominis libertate poterit non existeret.

Explicatur amplius exemplo adducto: Cum judicio falso de non existentia mysterii Trinitatis in infideli, non componitur assensus fidei, & tamen quia judicium illud potest non esse pro hominis libertate, talis infidelis est potens ad credendum: Ergo similiter, in nostro casu.

Alter ergo est impugnanda solutio, hæc nempe ratio: Licet cum prædicta revelatione sit in homine potentia ad habendum judicium oppositum, nimirum se posse consequi salutem, cum illa tamen non fiat judicium prudens de consecutione beatitudinis, nempe potentia ad illud habendum: Ergo cum prædicta revelatione (dato etiam quod homo illi non assentiat) non fiat potentia ad sperandum. Consequentia patet; nam ut esset talis potentia, deberet existeret prædictum judicium, vel potentia ad illud habendum; cum actus spei regulari nequeat, nisi per judicium prudens, eo quod prædicta sit regula omnium virtutum. Antecedens etiam est manifestum: nam homo non assentiendo prædictæ revelationi, contra rationem operatur: Ergo non potest juxta prudentiam formare judicium revelationi oppositum.

Confirmatur: Licet infidelis possit revelationi non assentiri, ut de facto contingit; revelatione tamen supposita, non potest formare judicium prudens, oppositum objecto revelato; cum hoc judicium in hac suppositione sit peccatum, & consequenter imprudens: Ergo similiter in nostro casu; licet possit homo ille prædictæ revelationi non assentiri, judicium tamen illi oppositum esset peccatum, & imprudens, subindeque infidelitatis ad actum spei regulandum.

Ex his probata manet tertia conclusionis pars: cum enim nemo obligetur ad impossibile, stulle cui Deus suam damnationem revelaret, non haberet potentiam ad sperandum; non posset præcepto spei obligari ad sperandum beatitudinem: unde per omissionem hujus præcepti non peccaret: omisso enim præcepto quod homo adimplere non potest, non est libera, nec proinde mala & peccaminosa: peccaret tamen, positive desperando per actum formalem & expressum desperationis, quæ essentialiter mala est; quippe que per modum fugæ & recessus continet odium & detestationem ipsius beatitudinis, subindeque ipsius Dei, quatenus est bonum nostrum, & a nobis per claram visionem possideri potest.

§. II.

*Solutio objectionum.*

Objicies primo, Apostolus habuit relationem certam de sua salute, & tamen timuit r. ad Cor. 7. *Castro corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar:* Ergo etiam si quis habeat certam & absolutam de sua damnatione revelationem, poterit nihilominus sperare beatitudinem.

Respondet vel Apostolus, quando hæc scripsit, nondam revelationem certam de sua salute habuisse: vel si tunc talem revelationem haberit, ipsum non in persona propria,

sed in persona cujuslibet nostram, locutum esse, ostendens quid unicuique, licet miraculis, predicandi dono, & ceteris aliis claret, præstantium sit: vel tertio ipsum Apostolum circa occasiones, quo ipsum ad peccatum poterat inducere, ita se gessisse, ac si damnari timuisset, præsertim cum sciret per ista media, nempe per castigationem, & subjectionem carnis, adimplendam esse executionem suæ prædicationis. Ideoque reipsa non timuit a beatitudine excedere, sed tantum voluit ostendere, castigationem carnis esse sibi necessariam; cum per hæc Deus prædeterminationem suam fortiori suum effectum ordinasset, unde hæc verba ne reprobus efficiar, sumuntur negative, & idem sonant, ac si diceretur, mea prædeterminatio effectum suum non consequatur.

Objicies secundo: Cum revelatione damnationis fiat potentia ad consequendam salutem; Ergo & ad illam sperandam. Antecedens videtur certum; Consequentia etiam apparet manifesta. Cum enim plus sit consequi salutem, quam illam sperare, si cum revelatione damnationis sit potentia ad consequendam salutem, a fortiori cum tali revelatione manebit in homine potentia ad illam sperandam.

Respondet, dato Antecedente, negando Consequentiam: licet enim plus sit consequi salutem, quam illam sperare, subindeque prædictæ revelationi magis opponatur consecutio salutis, quam illius spei; minus tamen ei opponitur potentia ad salutem consequendam, quam potentia ad illam sperandam. Ratio est: quia licet cum revelatione damnationis stare non possint auxilia efficacis ad salutem, bene tamen sufficientia; subindeque licet per talem revelationem auferatur futurio salutis, non tamen ejus possibilitas; potentia vero ad sperandam beatitudinem requirit quod illa possit prudenter apprehendi ut futura, cum spes Theologica non possit versari, nisi circa bonum quod potest prudenter apprehendi ut futurum: posita autem revelatione damnationis, implicat quod salus ut futura prudenter apprehendi possit: Ergo ea posita, implicat remanere in homine potentiam ad sperandum.

Objicies tertio: Facta alicui revelatione damnationis, adhuc teneretur servare omnia præcepta, subindeque illa servare posset, cum nemo possit obligari ad impossibile: Ergo cum observationi præceptorum annexa sit gloria consecutio, juxta illud Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, adhuc ille posset sperare beatitudinem.

Respondet primo negando Antecedens: tunc enim non teneretur servare unum ex præceptis divinis, nempe præceptum sperandi vitam æternam, ut in tertia parte conclusionis diximus.

Respondet secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicendum, quod consecutio gloriæ annexa est observationi mandatorum, non quomodocumque considerata, sed efficaciter exhibitæ, & usque ad finem vite: posita autem revelatione damnationis, non posset sperari efficax observantia omnium mandatorum usque ad finem vite, quia tunc esset de fide, quod ille, cui facta esset talis revelatio, aliquod mandatum non servaret efficaciter, licet de illo vel illo determinate non esset ei revelatum.

Objicies quarto: Revelatio divina de futura damnatione, mere extrinsece se habet respectu objecti quod revelat, subindeque illud intrinsece non immutat: Ergo sicut antea homo poterat, & teneretur sperare beatitudinem, ita & post. Sed nego Consequentiam: licet enim ex tali revelatione non varietur objectum, varietur tamen in homine judicium prudentiale de illo, subindeque tendentia voluntatis in illud, ut ex supra dictis patet.

Ex dictis inferes, quod ille cui facta esset revelatio suæ damnationis, non teneretur orare ad petendum a Deo auxilia efficacis ad salutem: oratio enim actum spei expeditum vel implicitum necessario importat: atque adeo ille non teneretur sperare, etiam non teneretur orare. Unde Augustinus lib. 1. de civit. cap. 24. *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint confisus, tamen prædeterminati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipsis.*

DISPUTATIO X.

*De virtute Caritatis.*

*Ad questionem 33. & sequentes.*

Iacto spiritualis ædificii fundamentum, & fidei objecto, actibus, & proprietatibus explicatis: atque altera Theologicarum virtutum, quæ ipsi simillima est, scilicet spei, ei adjuncta; & nunc de caritate agendum est, quam fides concipit, & quam spes nutrit, & quæ fidei umbras, ac spei suspensiva prætergressa, se totam in Deum immergit; ut æterna illa pulcritudine, quam fides ostendit,

& spes optat, feliciter perfruatur. Hæc gemma virtutum, quæ ceteras format, illustrat, perficit, estque ornatum singularem ac venustatem ex sui consortio imperit. Hæc velis purpurea Sponsa, optime sedens super byssum caritatis; aut velis polimita Joseph, omnium virtutum varietate decorata; vel, si mavis, vestimentum Jacob, cujus fragrantia benedictionem Patris cælestis impetrat. Hæc curus igneus, sublevans intereum hominem in paradysum spirituales; bitumen quo Deus Ecclesie arcam inivit, ne aque tribulationum ipsam penetrare possint; cementum quo lapides vivi in ædificio spirituali connectuntur; filum aureum quo inter se colligantur; caeleste gluten, quod animam Deo jungit; & vinculum illud perfectionis, quod felicissimo nexu, & homines Deo & inter se homines, propter Deum, ejusque dilectionem, conjungit. Hæc ulna aurea, quæ porta & muri caelestis Jerusalem metantur, & qua luminis gloriæ, & beatificæ visionis perfectio mensuratur: *Plus enim (inquit Doctor Anglicus) participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de caritate;* vel; ut loquitur Augustinus, *Anima quantum caritate adhaerescit, tantum lumine gloriæ illustratur.* Hæc denique, teste Apostolo, excellentissimum omnium charismatum est: quod enim inter planetas Sol, inter elementa ignis, inter metallum aurum, & inter gemmas carbunculus, hoc inter virtutes caritas est. De hac ergo nobilissima & præstantissima virtute, in hac disputatione differemus, & minus difficilia omittentes, subtiliora tantum & difficiliora discutiemus.

ARTICULUS I.

*Utrum caritas vere & proprie sit amicitia hominis cum Deo?*

Negat Durandus in 4. dist. 49. qu. 4. num. 16. dicens: *hominis ad Deum non esse proprie amicitiam: affirmant vero ceteri Theologi cum S. Doctore hic art. 1. ubi expresse docet, quod caritas est quædam amicitia hominis ad Deum.* Sed advertendum cum Cajetano, in commentario hujus articuli, quod hic non accipitur amicitia relative, nimirum pro relatione illa, qua amicus est formaliter amico amicus, sed fundamentaliter pro habitu actu amoris mutui, qui est fundamentum ipsius relationis: nam quando queritur, an caritas sit amicitia inter Deum & homines, certum est non queri, an ipsa caritas sit relatio (satis enim constat eam non esse relationem, cum sit habitus, subindeque ad categoriam qualitatis pertineat) sed inquiri, an ipse habitus, vel actus, quo Deum diligimus, & qui est hujus relationis fundamentum, sit habitualis, vel actualis amicitia hominis ad Deum? Hoc præmissis, pro resolutione hujus celeberrimi questionis sit

§. I.

*Conclusio affirmativa hæcitur.*

Dico igitur, caritatem esse vere & proprie amicitiam hominis ad Deum.

Probatur primo ex sacris litteris, in quibus iusti & sancti homines passim vocantur amici Dei: Jac. 2. *Abraham amicus Dei effectus est:* Joann. 21. *Lazarus amicus noster dormit:* Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus:* ubi & significantius græce apud Septuaginta *εταίρου, sodales tui, familiares tui.* Item Sapientia inter ceteras laudes, amicos Dei constituere dicitur Sapient. 7. *Demam toto libro Cantorum, satis superque hæc divina amicitia significatur, & celebratur.* Unde apud Augustinum lib. 8. Confess. cap. 6. *ajeat ad socium famosissimus ille Imperatoris Curia alicuius, Potentianus: Dic, quæso, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? Quis querimus? Cuius gratia militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et per quot pericula pervenitur ad grandis periculum? Et quando istud erit? Amicus autem Dei, si volueris, cito tuus sis.* Idem folio luminis naturalis fulgore agnovit Seneca: nam in libro de providentia hæc scripsit: *Inter virum bonum & Deum vera est amicitia. Quid dico amicitia, immo & necessitudo & similitudo; quandoquidem bonus a Deo differ: tantum tempore, vera ejus progenies, amularaque. Quæ verba expendens Erasmus, bellissime ait de Seneca, *Ethnice loquitur, si Christianus sit; Christiane, si Ethnicus.* Crassiores enim errores Gentilium, altissimis fidei veritatibus immiscuit; nam suam sapientem fere aequat Deo, & in hoc ethnicum inter justum & Deum.*

Probatur secundo ex conditionibus vere amicitia, quæ sunt tantum quatuor. Prima ut sit amor benevolentie, non concupiscentie, qua quis se amat, aut sua; unde Aristoteles docet, neque in senibus, neque in juvenibus, amicitiam reperiri: quia senes ad suam utilitatem, juvenes vero ad voluptates omnia referunt. Secunda, ut sit amor mutuus, non occultus & latens, sed utrique notus; ut do-